

constat, qui primos annos in germanicae linguae eloquentia vel carminibus impenderunt, eos nunquam postea ad veram et ornatiorem latinitatem perducere potuisse. Nostrae linguae autem quae sunt, quia ab incunabulis adhaerent, semper addisci possunt, et rectius discuntur, si ex latina artem, vim et ornatum orationis seu carminis prius didicerint. Quae causa fuit, ut Romani prius graece, quam latine declamarent, cuius rationem Cicero in Bruto cap. XC. adfert, et suo exemplo confirmat. (c) Quae verba nostri temporis faciem viuis coloribus depingunt. Vtinam, qui se depictos animaduertunt, legendo haec erubescant!

IX. Ut M. T. Cicero ad suam utilitatem semper cum graecis latina coniunxit; sic periti et prudentes scholarum rectores idem suis discipulis omnibus censebunt faciendum, ut cum latinis graeca coniungant et pares esse studeant in vtriusque orationis facultate. Graecae enim linguae scientia theologiae, iuris et medicinae studiosis aequae est necessaria. Ad eam igitur perdiscendam animum omni contentione appellant, et illud Venusini poetae, *de arte poetica v. 273. seq.* sibi dictum putent:

- - - - - „Vos exemplaria graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Exemplaria autem graeca, quae versare debent, sunt volumina sacra et profana. Libri novi testamenti non quidem barbarismis et soloecismis sunt deturpati, a qua criminatione eos BALTHASAR STOLBERGIUS (d) et IOHANNES CONRADVS SCHWARZIVS (e) vindicauerunt; sciant tamen Hebraismis, id quod IOHANNES VORSTIVS (f) et IOANNES LEVS-

(c) l. c. §. 38.

(d) In Tr. de Soloecismis et barbarismis graecae noui foederis dictioni falso tributis.

(e) Libro de opinatis discipulorum Christi Soloecismis.

(f) Comm. de hebraismis N. T.